



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus II. De imponente sibi injudicio falsum crimen ad evitanda tormenta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS II.

De imponente sibi in iudicio falsum crimen ad vitanda tormenta.

Furander animadvertens, Pompeum in proximum suum prædium excurrisse, clam ejus domum ingreditur, effractaque arcâ pecuniariâ omnem in ea reconditam pecuniam surripit. Paulò post Pompeus domum rediens arcam effractam & evacuatam invenit, qui, cum Turbilianum famulum à se paulò ante dimissum satis de furto suspectum haberet, eum ad Judicem defert. Judex mox eum comprehendi jubet, & cum ad quæstionem abreptus, ac vi tormentorum victus, furtum, quod non commiserat, fateretur, latâ sententiâ morti adjudicatur. Hoc audiens Furander conscientie Stimulis agitated Laurentium Confessarium, qui Turbiliani confessionem in carcere exceperat, illicò adit, eique totam rei seriem pandit, & quid consilii, ut innocentem à morte liberare possit, ab eo exquirat.

QUÆR. I. Quid Laurentius Confessarius consulere possit Turbiliano innocenti, & an hic teneatur retractare confessionem falsi criminis sibi impositi ad tormenta evitanda?

QUÆR. II. An graviter peccet, qui ad evitanda gravissima tormenta sibi falsum crimen imponit, ob quod morti adjudicandus est?

QUÆR. III. Quid consulendum Furandro furi, & An hic teneatur se prode ad liberandum innocentem.

AD I. Q. Laurentius Confessarius Turbiliano consulere poterit, ut ad altius Tribunal appellet, expressa causa falsæ confessionis; cum enim à sententia inferioris Judicis possit quis provocare ad Judicem superiorem, deturque id beneficium etiam confessis, ut probat

bat Archidiaconus in *cap. Romana de appellat. in 6. n. 11.* & ipse hoc beneficio, & remedio uti poterit, causam falsæ suæ confessionis exprimendo, quòd vim tormentorum perferre nequiverit; si tamen hanc viam appellationis ingredi velit, id faciet intra decem dies, qui à die latæ sententiæ numerantur. Poterit quoque Confessarius Judicem adire, eumque, furis nomine occultato, de rei causa, & veritate melius informare, eique non nulla indicia afferre, quæ Turbilianum innocentem verisimile est ignorasse, uti varium genus pecuniæ ablatae, arcæ magnitudinem, figuram, & similia, quæ ex fure & pecuniæ domino intelligere, & cognoscere poterit, quæ forsitan Judicem movere poterunt ad differendum supplicium, aut causam melius discutendam. Securior tamen erit via, si ad Principem recurratur, & cum eo de rei veritate probè informato suppliciter de sententia mitiganda, aut rescindenda agatur.

9 An autem, si hæc omnia nihil sint profutura, antequam extremum subeat supplicium, teneatur confessionem falsi criminis sibi impositi retractare, & veritatem aperire? Negant alii cum Sylvest. Angel. *v. detractio §. 7.* Less. *de just. c. 11. dub. 7.* Bonac. *D. 2. q. 4. p. 10.* Busenb. *l. 4. c. 3. dub. 7.* Sotus *l. 5. q. 10.* Tolet. *l. 5. c. 66.* aliisque contra Covar. *1. resol. c. 2. n. 8.*

Laym. *l. 3. rr. 6. §. unic.* alioque quia non tenetur cum tanto suo incommodo, & periculo novæ tormenturæ vitam conservare, nec famæ familiæ suæ consulere. Alii cum Molina *D. 37. & Lug. 14. §. 10.* sub distinctione melius respondent, & siquidem res sit adhuc in eo statu, ut per retractationem impediri possit mors, vel infamia & damna aliorum, quæ inde sequerentur, retractare eum debere, ne aliàs causam ponat suæ mortis; secus si confessionis retractatio nihil sit profutura ad revocandam sententiam jam prolatam, nec ad ejusmodi damna impedienda. Addit tamen Molina *l. c.* cum Clave Regia *n. 44.* Bonac. & aliis, consulendum illi esse, & ita fieri solitum, ut saltem ante mortem publicè fateatur, se vi, & metu tormentorum contra veritatem confessum esse; præsertim cum tunc non amplius sit periculum, ut ad nova tormenta rapiatur, servietque id, si non ad tollendam, saltem ad minuendam infamiam familiæ suæ; cum multi probabiliter credent magis retractationem in mortis articulo, conscientiae stimulis factam, quàm confessionem præteritam tormentis extortam.

Ad 2. Q. Convenit inter DD. 10 imponere sibi falsum crimen cum periculo mortis ad vitanda solum levia tormenta peccatum esse mortale? quia quilibet tenetur cum levi incommodo vitam propriam

conservare : ergo exponendo illam periculo mortis ob levia tormenta delinquit graviter. An autem mortaliter peccet, si id faciat ad evitanda gravia tormenta, disceptatur inter DD. utrinque satis probabiliter. Non peccare graviter secluso perjurio, affirmant Clavis Regia *cap. 3, n. 41*. Less. *n. 41*. [Tolet. *l. 6. cap. 66*. Turrian. *D. 54. dub. 1. n. 20*. Tanner. *Tom. 3. D. 4. q. 4. n. 99*. Bonac. *D. 2. q. 4. p. 10*. Busenb. *l. c.* Sotus, Sylvest. Angel. aliique. Rationem dant; quia non tenetur homo cum tanto cruciatu, & dolore vitam tueri ac custodire, sicut nec tenetur ad vitam conservandam tibiam cum ingenti dolore secare; non enim tanto dolore digna est salus.

II Contrariam tamen sententiam tenent, ac defendunt Navar. *cap. 18. n. 29*. Molina *l. c. n. 18*. Lugo *l. c. n. 174*. Caramuel. *Fund. 61. §. 1. n. 1278*. Reginald. Covar. aliique. Moventur potissimum, ex eo, quod homo per confessionem falsi criminis sibi impositi, ex qua poena mortis incurritur, aliàs non incurrenda, positivè cooperetur injustæ suæ morti; cum enim homo non sit Dominus vitæ suæ, nequit positivè ad ejus destructionem cooperari: Aliud enim est ex causa rationabili aliquid permittere, & aliud positivè ad illud concurrere, & cooperari: Unde non est paritas cum eo, qui non tenetur permit-

tere sibi abscindi tibiam, aliudve membrum cum tanto dolore & incommodo; nam talis nullo modo se ipsum interficit, sed permittit duntaxat mortem ex morbo, aliisve causis provenientes non utendo mediis difficillimis, maximeque arduis ad eam impediendam, ad quæ adhibenda cum tanto incommodo non tenetur; inposito autem casu non solum permittit, sed positivè cooperatur morti injustæ, & falsa confessione inducit Judicem, ut ipsum occidat, aliàs non occisurus, eumque graviter decipit, & judicium pervertit, estque sic talis confessio etiam mendacium graviter perniciosum. Conf. si enim is, qui falsò crimen affinxit alteri, ob quod supplicio extremo afficiendus est, omnium sententiâ peccat graviter & homicida est, cur non etiam ille, qui sibi tale crimen affinxit, ob quod morte plectendus est? cum neque suæ, neque alienæ vitæ Dominus existat. Sed dices ex allata ratione sequeretur, etiam eum esse causam suæ mortis, & graviter peccare, qui metu tormentorum fatetur suum crimen, quod patravit, propter quod morte plectendus est: sequela est falsa, cum juxta communissimam possit quis verum suum delictum fateri: imò se Judici sistere, ut justè puniatur pro quantitate delicti: fatendum ergo est, confitentem aliquod crimen sive verum, sive falsum, non esse causam suæ mortis, sed occasionem duntaxat præ-

præbere, qua posita Judex est causa illius mortis.

Ad hanc objectionem P. Molina *l. c.* illud inter utrumque assignat discrimen, quod manifestans crimen suum verum, non ponat causam suæ mortis; cum causa mortis, jam fuerit posita; licet esset occulta, nempe ipsum delictum commissum, quod mortem meretur, & Judicem movet ad proferendam sententiam; imponens verò sibi crimen falsum, nullam supponit causam positam, sed ipse causam fingit, & ponit, nempe delictum falsum, quod Judicem movet ad mortem inferendam.

12 Aliter, & melius respondet Lugo *l. c.* videlicet posse hominem desiderare, & procurare mortem, quam meritus est, dummodo id fiat apud eum, qui auctoritatem habet ad licitè occidendum; potest enim homo desiderare, & petere à DEO, ut ipsam occidat ob bonum finem; potest se Judici offerre, & suum delictum manifestare, ut ab ipso justè ac debitè puniatur &c. Tunc enim homo non se occidit auctoritate propria, sed procurat, ut id faciat ille, qui auctoritatem habet ad id licitè, & meritoriè faciendum, & licet det causam aliquam suæ mortis, non tamen disponit auctoritate propria de sua vita, sed movet ad id faciendum eum, qui propria auctoritate potest de ipsius vita disponere;

Unde patet, cur, quamvis liceat verum delictum Judici manifestare, non tamen liceat falsum confiteri; quia nimirum occisio innocentis ipsi Judici illicita est: adeoque qui procuraret, aut vellet, quod Judex innocentem occideret, Judicem deciperet, & jam non cooperaretur suæ morti apud eum, qui auctoritatem habet occidendi, sed apud eum, qui nullam auctoritatem habet in eo Casu; & consequenter absque auctoritate propria vel aliena poneret causam suæ occisionis. Secus est in altero casu. Posterior hæc sententia verior videtur; Prior tamen opposita satis probabilis est, quam etiam practicè probabilem pronunciat Lugo *l. c.*

Ad 3. Q. Illud in primis Furandro præstandum erit, ut, si restituta pecunia furtiva infonti Turbiliano subvenire possit nullâ interpositâ morâ eam restituat; Confessarium verò rogare poterit, ut Judicem conveniat, furis nomen occultans, eumque de rei veritate, & innocentia Turbiliani informet, propositis, siquæ ex circumstantiis occurrunt aliis indiciis. Verùm cum Index facilè suspicari possit, redditionem pecuniæ non esse nomine Furandri, sed nomine Turbiliani hac via conantis se morti eripere, vel nomine consanguineorum, nec cogatur credere Confessario, utpote qui alterius verbis decipi,

cipi, ac falli potuit, parùm, vel nihil hæc omnia proderunt imò sæpè nec consultum erit, ut Confessarius id præster; præsertim cum nec preces sacerdotis, nec pecuniæ redditæ post Sententiam definitivam à Judice pronuntiatam vim habeant ad sententiam rescindendam, vel immutandam; siquidem non est penes Judicem sententiam à se latam, augere, minuere, mutare, aut revocare, nisi iniquitatem contineat manifestam, ex *cap. inter ceteras desent. & rejudicata*, vel propter errorem facti, aut publicam utilitatem esset irritanda: unde tutior, & efficacior via erit, ut si qui gratia, & auctoritate apud Principem valerent, hos pro vita innocentis ad Principem allegandos curaret, qui habita informatione sententiam revocare, mutare, & corrigere potest.

14 Cæterùm, etsi hæc omnia nihil sint profectura ad innocentem liberandum, non tamen teneri furem occultum se ipsum prodere, ut innocentem morti eripiat, docet communis DD. cum Soto in *4. l. de J. & J. q. 6. a. 3.* Navar. in *summ. cap. 15. n. 17.* Em. Sà. v. *infamare*, Cordub. Comit.

Ratio est. 1. Quia nulla lex in eam necessitatem ipsum compellit, ut ait Sotus *l. c. D. de rest. §. quid autem &c.* ubi si crimen, inquit, commisisti, ob quod ille falsò condemnatus est: si tu illi non imposuisti, nihil tua refert: ob idque nulla lex te ipsum tunc prodere cogit.

2. Quia communis natura horret, ut quis aut mortem ipse sibi consciscat, aut salutem suam in extremum capitis discrimen adducat. Nec alia ratio suadet, ut fur, qui tali innocenti injuriosus non fuit, nec ullis Judicum suffragiis condemnatus est, cujus crimen est plenè occultum, se, suumque delictum prodatur, & capitale supplicium subeat; reus enim, dum ejus crimen est occultum, cum illud cælat, utitur jure suo.

Conf. si teneretur se prodere, tunc ratione damni, quod incurrit Turbilianus innocens: sed ratione hujus non teneretur, quia talis damni, & detrimenti fuit causa duntaxat remota, & per accidens, non verò causa propinqua, aut per se; qualem tamen esse oportet, ut obligationem inducat.

